



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 483. Usque Ad Annum 561.

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1759**

**VD18 90117824**

§. 47. Joannis II. Obitus. Agapitus Papa.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66066](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66066)

lovacum degebat, non est confundendus. Sæculum VI.  
A. C. 535.

## §. XLVII.

*Joannis II. obitus. Agapitus Papa.*

Joanni Mercurio Papæ 26. April. anno 535. postquam sedisset annis tribus & quatuor Mensibus, ad Cœlum translato, successit Agapitus Archidiaconus Gordiani Presbyteri Filius, qui quarta Maji ordinatus ferme anno uno Sedem obtinuit. Sub Pontificatus sui Auspicia in medio Ecclesiæ Anathematizationis Libellis, quos Bonifacius Papa ab Episcopis & Presbyteris contra Dioscorum æmulum suum extorserat, publice comburi jussis, Ecclesiam ab invidiosa rei memoria liberavit. Contumeliosus Episcopus Rejenfis, quamvis causa ipsius ex Mandato Joannis Papæ ab Episcopis Galliæ fuisset judicata, nihilominus ab eorum Sententiâ ad Sanctam Sedem sibi appellandum esse existimavit. Hinc Agapitus Papa ad S. Cæsarium Arelatensem scripsit in hunc modum: *Judices delegabimus, ut ea, quæ in Causa Contumeliosi egistis, examinent. Quamvis vero ei licentiam ad Ecclesiam suam redeundi dederitis, tamen suspensus sit, donec feratur Sententiâ. Solum Bona ipsius propria ei redantur, & unde congrue sustentetur. Interim de Bonis Ecclesiæ nihil valeat decernere,*

*Sup. §. 25.  
Lib. Pont.*

*Sup. §. 40.*

*Ep. 7.*

Sæculum VI. *nere, & Missam non celebret, sed Visita-*  
 A.C. 535. *tor ipsius munere fungatur.* Hæc Episto-

Ep. 6.

la decimo quinto Cal. Aug. post Consu-  
 latum Paulini junioris, id est, decima  
 octava Julii anno 535. data est. Alia Epi-  
 stola eadem die data Agapitus Papa S. Cæ-  
 sario licentiam concedere renuit Fundos  
 Ecclesiæ alienandi ad alendos pauperes,  
*quia, inquit, adversus Canones agere non*  
*audemus, quæcunque nascatur occasio, aut*  
*cujuscunque etiam Personæ utilitas id ex-*  
*poscere videatur.*

§. XLVIII.

*Justinianus Africam recuperat.*

Inter hæc Summus Pontifex acceptis  
 Epistolis Synodicis Episcoporum Afri-  
 cæ ipsorum Ecclesias Libertati redditas,  
 & a jugo Vandalorum vindicatas, com-  
 perit. Cum jam anno 531. Rex Vanda-  
 lorum Hildericus a Gilimero, cui post  
 eum corona destinabatur, Solio dejectus  
 fuisset, Justinianus, hujus facinoris vin-  
 dicta in se suscepta, foedera inita inter  
 Zenonem Imperatorem & Regem Gen-  
 sericum fregit. Itaque anno Regni sui  
 septimo, cum tertio Consul esset, nem-  
 pe 533. quingentarum navium Classem  
 Belisario Præfecto in Africam misit. Ante-  
 quam Belisarius mari se committeret, Im-  
 perator Prætoriam ad littus & Cæsareum  
 Palatium, quam proxime poterat, advehi  
 jussit

Lib. I. ff. de  
 Confir. di-  
 gest.

Procop. I.  
 Vand. c. 12.